




~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Mikkel, alced



QVÆSTIO

DE NOTIS VE
RÆ ECCLESIAE,

Quam,

A. A. M. M.

Moderatore

REVERENDO ET CLARISSIMO
VIRO, DN. IOHANNÉ GEORGIO VOLCKMARO,
S.S. Theol. Doctore & Professore in Aca-
demia Witebergenſi Publico,

CONTRA PONTIFICIOS

Ad diſputationem XX. in Collegio Studioſorum Theo-
logiæ privato proponit

M. IOHANNES SCHRODERVS
TREISENSIS HASSVS,

Respondente,

IOHANNÉ SNELLIO *Tunderenſi Hoſato.*

WITEBERGAE, Literis W. Volſgangi Meiſneri.

ANNO cl. l. IVC.





ILLVSTRI ET GENE-
NEROSO DOMINO

D. JOHANNI WENCESLAO
Wenzelyk, Baroni à Sarabitz, in Triescht, &
Wzelnitz, Domino suo humili ob-
servantià semper colendo,

Theologicum hoc γύμνασμα
D. D. D.

M. JOHANNES SCHRODERVS
Treisensis Hessus.



THESES THEOLOGICÆ DE NOTIS VERÆ ECCLESIAE. THESIS I.



Faciunt & favos vespa, aiebat aliquando Tertullianus, faciunt Ecclesias & Marcionitæ: adeoq; singuli quiq; hæreticorum cœtus, quod Lactantius dicit, se potissimum Christianos esse, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.

lib. 4. cont.
Marcion. c. 5

ῥητὸς μὲν οἶ.

3. *Inde fit, ut queratur: Quibus e notis, penes quos sit vera Ecclesia, sit dignoscendum. Id quod hac disputatione explicandum suscipimus.*

ἐκθεσις τῶν ῥητῶν μὲν οἶ:

3. *De Ecclesie vocabulo, quod est ἐκ τῶν ὀρθοδόξων λεγομένων, in Disputatione superiore accepimus: hic quarimus illam, quam perhibent, visibilem, in terris sub crucis vexillo militantem, in statu perfecto consideratam.*

4. *Subdimus, in statu perfecto; quod Ecclesia visibilis non semper eandem faciem ostendat, sed, uti veteres docebant, instar Lunæ nunc plus, nunc minus surgentis, ortus & obitus suos habeat, cœrrumpiq; non autem usq; naq; aboleri possit.*

Ambros. lib.
4. Hexaem.
cap. 5.

5. *Nota sunt, quæ ad notificandum aliud affecta sunt: ut hujus notitiam illarum ind. cio indipisci liceat.*

6. *Suntq; duorum generum: pro ratione duplicis notitiæ, quarum una est συγκεχυμένη, confusa, umbratilis, levis, inconstans, & Opinio veriùs quàm Notitiæ: altera accurata, pressa, certa & infallibilis.*

7. *Aliæ sunt Accidentariæ, petitiæ ab Accidentibus, quæ rem forinsecus vestiunt, & nunc insunt, nunc a re absunt; similia volitantibus imagunculis Dædali, quæ facile hominibus imponunt. Philosophi vocant σημεῖα ἐνδοξεία, signa, e quibus probabiliter tantum concluditur.*

8. *Aliæ sunt propriæ & characteristica, quæ pendent ab essentia rei, cujus notitiæ investigatur; ideoq; ἀχώριστοι sunt καὶ ἀνυπέφερα, perpetuæ & reciproca: ut animum possint reddere ἀνεπίστωτον, rei infallibilem notiam pariendo.*

9. Verbi causa : corpus hominis dormientis corpus ἐμψυχον, non
cadaver, esse, ex Respiratione cognosco. Quæ cognitio est certa, quod
Respiratio sit corporis ἐμψυχου nota perpetua. Idem si tu ἐμψυχον af-
firmes inde quia colore floridiusculo sit tinctum, verum quidem affir-
mas, sed non διὰ δυνάμειος conclusum. Signum, quod affers, non est ἀναγ-
κῆτιον, sed ὡς ἰδί τὸ πολὺ ἐνδεχόμενον. Siquidem Ἐ ἄψυχα corpora
colore simili imbuta, Ἐ ἐμψυχα non imbuta reperias.

διόρισμός τῶ ζητούμενου.

10. Nunc verò in hac συζητήσει nostra non versantur Notæ accidē-
tariæ, quæ variæ pro re nata esse possunt, sed propriæ, quæ Ecclesiæ in-
dices genuini sunt, ut inde ἀναμφισβήτως dignosci possit.

11. Non quod illas negligendas velimus. Sicut enim Philosophos in
rerum abstrusarum indagatione, antequam λόγοις ἐπιστημονικότης rem
agant, argumentis topicis viam præparare videmus : ita illæ, quæ
sunt communiore, notitiam asserre possunt, si non accuratam, accuratio-
ris tamen σκιάς Ἐ præludium.

12. Pontificij, adversus quos disputatio hæc suscipitur, Notas com-
plures recensent : Nos duas : Puram Evangelij seu verbi divini prædi-
cationem, Ἐ Legitimam Sacramentorum administrationem : sed ad-
quas alias, quæ ab alijs recitantur, referre possumus.

κατάσκευῆ.

13. Has veras Ecclesiæ veræ notas esse, ex definitione, tanquam
medio ἀποδεικτικῶς ἠρησασθεῖς, ostendimus Syllogismo tali : Quæcun-
que & adæquata sunt Ecclesiæ, & notiora sunt Ecclesiæ
notandâ, hæc sunt Ecclesiæ notæ veræ & germanæ. Pu-
ra Evangelij prædicatio & Sacramentorum legitima ad-
ministratio sunt Ecclesiæ notandæ adæquata, eademque
notiores. Pura igitur Evangelij prædicatio & Legitima
Sacramentorum administratio sunt Ecclesiæ Notæ veræ
& germanæ.

14. Propositio sua luce lucet. Siquidem ad τὸ ἄριπ εἶναι Notæ perti-
net, ut referatur ad aliud notandum : quod facit, si sit Ἐ notior Ἐ
propria : si non ἀπλῶς, saltem quodammodo.

15. Assumptio complectitur duo : Unum, quod pura E uangelij præ-
dicatio Ἐ Sacramentorum legitima administratio sint E cclesiæ veræ
adæquata : Alterum, quod sint notiores. Vtrunq; κεινόμενον : utrunq;
probandum.

Primo

Trius assumpti membrum probatur.

16. Prioris membri probationem prosyllogismo conficimus tali: S^c pura Evangelij prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio semper sunt intra veram Ecclesiam visibilem (in statu perfecto consideratam) nunquam extra, sequitur huic illa esse adæquata. Verum Antecedens. Verum igitur & Consequens.

17. Cæterum quod pura verbi prædicatio semper sit in vera visibili Ecclesia, confirmant primum loci, qui per Apostolicam prædicationem collectam docent. 1. Cor. 1. v. 21. Act. 10. v. 42. Matt. 28. v. 19. 1. Ioh. 1. v. 3. Rom. 15. v. 16. Deinde hi, qui de veritatis conservatione loquuntur, & de erroribus doctrinae declinandis & castigandis monent: ut, 1. Pet. 4. v. 11. Col. 3. v. 16. 1. Thess. 5. v. 19. 20. Phil. 2. v. 15. 16. Eph. 4. v. 11. 12. 13. 14. 1. Tim. 6. v. 20. 1. Tim. 4. v. 13. 2. Tim. 1. v. 13. 2. Tim. 2. v. 2. 2. Tim. 3. v. 14. Tit. 1. v. 9. 10. 11. 12. 1. Ioh. 4. v. 1. Matt. 7. v. 15. Act. 20. v. 28. 2. Tim. 2. v. 25. Ioh. ep. 2. v. 10.

18. Sic Baptismi legitimam administrationem semper in Ecclesia esse, ostendunt tum Mandatum, Matth. 28. v. 19. Mar. 16. v. 15. tum executio mandati, seu exempla eorum, qui per januam baptismi in Ecclesiam sunt ingressi & quotidie ingrediuntur. Item loci illi, qui Baptismi necessitatē, ejusdemq; effectus, quib. Ecclesia cætus ab alijs distinguitur, exponunt. Ioh. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. Eph. 4. v. 45. 1. Cor. 12. v. 13.

19. Legitimam quoq; administrationem cœnæ Dominicæ semper intra Ecclesiam veram esse, docent primum verba institutionis: Hoc facite in meam commemorationem. 1. Cor. 11. v. 25. 26. deinde praxis Ecclesiæ 1. Cor. 10. v. 16. tum reprehensio abusus. 1. Cor. 10. v. 21. postremò effectus, qui sunt applicatio beneficiorum Christi [cuius Spiritus non potest haberi, nisi in corpore eius] & conservatio unitatis Ecclesiæ. 1. Cor. 10. vers. 17. 21.

20. Atq; hi sunt tres illi testes, de quibus Iohannes loquitur, qui testimonium dant in terris. Et hi tres in unum sunt.

21. Itaq; nec sunt extra veram visibilem Ecclesiam. Essent enim vel in cœtu Hæreticorum, vel in cœtu purè Schismaticorum, qui non tam in fide errant, quam in charitate deficiunt. Quod apud paganos, quibus nomen Christi vel inauditum vel invisum est, sint, nemo affirmat. At nec in cœtu Hæreticorum, nec in cœtu schismaticorum, quales olim Luciferiani, & Donatistæ primitus fuerunt, sunt illa. Non igitur sunt extra veram visibilem Ecclesiam.

22. Et quidem puram verbi prædicationem in cœtu Hæreticorum non esse, manifestum est: Siquidem Hæreticum puram verbi prædicationem retinere *ὡς ἡ ἀληθὴς* diceretur.

23. Nec retinent eam Schismatici, qui saltem in capite de Ecclesia errorem admittunt, à qua divortium faciunt propter mores externos corruptiores: contra quam verbum Dei jubeat, quod Ecclesiam agro Zizania ferenti, sagena pisces bonos & malos complectenti, assimilat.

24. Unde illis error suus denudatur. Itaq; Augustinus: Non audiamus, ait, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Domini, quorum autoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, utriq; servimus: ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.

25. Nec verò apud utrosq; est omnimodo legitima Sacramentorū administratio. Sacramenta quidē vera administrari apud Hæreticos & Schismaticos posse non inficior: quia verò Sacramenta sunt bona, Ecclesiæ hac ratione legitimam eorum administrationem non nisi à vera Ecclesiā petersere fas est.

26. Quæ est legitima Baptismi administratio, quæ non Christi corpori, non invisibili solū, sed etiam visibili inserat baptizatos? Omnes nos, inquit Paulus, in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive liberi, sive serui: & omnes in unum Spiritum potati sumus. Quæ legitima cœnæ Dominicæ administratio, quæ in eodem Christi corpore participantem non contineat? Unus panis, idem Apostolus dicit, unum corpus multi sumus.

27. At quorsum hæc? Notæ nostræ conjunctim sumptæ (non hoc negabunt adversarij) veræ Ecclesiæ sunt adæquatæ, & extra illam sunt nunquam: si maxime è disjunctim sumtis una vel altera in Ecclesiā corrupta quoq; inveniantur.

Posterius assumpti membrum probatur.

28. Probandum nunc quoq;, quod pura verbi prædicatione & Sacramentorum legitima administratio sint Notiora Ecclesiæ.

29. Est verò aliquid altero notius, Philosophis ita distinguentibus, vel Nobis solū, vel Natura etiam. Nobis solū notius est, quod, cum ab alio dependeat, ipsum tamen, tanquam sensui propinquius, cognoscimus prius, quàm hoc, à quò dependet. Talia sunt effecta, singularia, composita.

30. Na.

30. Natura etiã notius est, à cuius cognitione pendet cœgnitio al-
terius: quomodo essentia quoq; huius pendet ab illo. Sic causa Natura
notiores sunt, quam Effectus. Causa enim quemadmodum in se, non
pendent ab effectibus, effectus verò à causis: ita notiores natura sunt
causa, natura ignotiores effectus.

31. Ex quo, Notas Ecclesiæ, quas nos tractamus, Ecclesiã notiores
esse, Natura respectu, clarum est. Siquidem ita Notæ sunt, ut etiam
principia fiat, quibus Ecclesia constituitur & continetur. De quo in pri-
oris membri probatione dictum.

32. At enim nostri quoq; respectu Notiores sunt Ecclesiã: non solum
generali illa ratione, qua Natura nota etiam nobis sunt nota: quum nos
simus, qui nôrimus: sed etiam speciali, quæ concernit nobis tantum no-
tiora.

33. Hanc intelligimus, quando easdem notas, cadentes sub sensus no-
stros, ut effectus Ecclesiæ consideramus, nisi forsã inficias ire velis, qui
pure Verbum prædicant, qui Sacramenta legitimè administrant, Eccle-
siæ membra esse. Helleboro opus fuerit, si facis.

34. Inquis: Prædicationem verbi audio: Sacramentorum admini-
strationem video: sed non video, an legitimè hæc, non audio, an purè
tractetur illa.

35. Ita est ut dicis: Non tamen idcirco ignotiores & obscuriores
sunt Ecclesiã. Siquidem in hac quoq; habes, quod videas, & quod non
videas. Homines & hominum cœtus vides: at non vides, quod cœtus
iste sit illa Ecclesiã, in qua verus Dei cultus resideat.

36. Hoc non nisi è scriptura cognoscitur, quæ Dei verum cultum lib. de unit.
definit. Ut merito hic audiendus sit Augustinus, qui: Inter nos, inquit, Eccles. c. 2.
& Donatistas quæstio est: Vbi sit Ecclesiã? Quid ergò facturi sumus?
In verbis nostris eam quæsiturus; an in verbis capitis sui, Domini nostri
Iesu Christi? Puto, quod in illius potius verbis eam quærere debemus,
qui veritas est, & optimè novit corpus suum.

37. Ex eadem Scriptura agnoscimus, quæ sit prædicatio Euangelij
pura, & quæ sit Sacramentorum administratio legitima. Proinde huc
redeundum: Vtrum è scriptura sit notius, utrum obscurius.

38. Explicemus hoc Syllogismo: Si Ecclesiæ cognitio, ita deficiente
Scriptura, pendet à cognitione prædicationis puræ verbi, &c. non au-
tem horum cognitio ab Ecclesiæ cognitione; Sequitur è scriptura notiora
esse

esse puram verbi prædicationem, & administrationem legitimam. Verum antecedens. Verum igitur & consequens.

39. Assumptum ostendunt loci scripturæ, qui illam faciunt normam iudicij de Ecclesia, ex qua pro Ecclesia vera cætum agnoscamus illum, in quo illa locum habent, & jubeamus valere eum, in quo non habent. Si norma est, ergo cognitio ejus præcedit cognitionem ejus, cujus norma est. Oecurrit hic Bellarminus: Ecclesia inquam est notior scriptura: quod de scriptura nobis non constaret, si non testificaretur Ecclesia. Est igitur prædicatione pura &c. quoq; notior.

40. Nos autem distinguimus, ex thesi septima, inter Notitiam distinctam & confusam. Distinctam notitiam nos quarimus, eamq; non aliunde, quam ex scriptura hauriri posse, asserimus. Ad notitiam vero confusam principijs varijs, non ex Ecclesie testificatione sola, perveniri potest.

41. Quanquam nec hæc Confusa notitia ita Ecclesie est nota, quin eodem notitiæ genere scriptura sit notior. Quid enim quis cogitet de Ecclesia, si non de veritate doctrinæ & cultus divini in ea cogitet, quæ veritas divinitus sui patefacta? etsi distincta notitia nondum sciat, æquæ sit ista veritas. Ista igitur opinio veritatis, quam confidit se in hoc cætum reperturum, ut varijs è circumstantijs colligere potuit, amecedit & efficit, ut hunc cætum pro Ecclesia habeat. At verè Ecclesiam esse, postmodum ex eadem veritate, seu scriptura, agnoscit.

42. Sed rem à primo obo repetere jam non opus. Bellarminum constringamus, respondentem ad quoddam dicitur op: Ecclesiam simpliciter esse priorem & notiozem, quam sit scriptura: Nam Ecclesia fuit ante scripturam: Et ipsi data est scriptura à Deo: & ipsa eam alijs tradit & explicat: tamen aliquando ex hypotbesi scripturam esse notiozem, quando videlicet scriptura est recepta, & clare loquitur, & oritur quæstio de Ecclesia.

43. De antecedente Discreti hujus effati parte modò aliquid dictum: de ratiunculis ejus alibi dictum: ex consequente contra Bellarminum argumentamur: Si Lutherani in quæstione de Ecclesia arcessunt suas Notas è scriptura jam recepta, & clare loquente falsum est eos petere Notas ex illo, quod Ecclesia est obscuri9. Verù pri9. Quare & posteri9.

44. Hæc κατὰ τὸν κενὸν de veris veræ Ecclesie notis. Subjicimus his prædictam ἀνασκαυὸν illarum, quas Pontificij ostentant.

ἀνασκαυὸν.

55. Prima nota, inquit Bellarminus, est nomen Ecclesie Catholice. Contra 3

Contra: 1. Nudum nomen non potest esse nota: quia hæreticorum Ecclesia nulla est, quæ si roges, an Catholica sit, id non affirmet. 2. Nomen autem conjunctum cum veritate rei, quæ tota in doctrina Catholica sita est, Pontificiæ Ecclesiæ non competit. 3. Nec, si competeret, nota esset ipsi, qui doctrinam obscuriorem Ecclesiæ esse contendit.

46. Secunda nota est Antiquitas.

Contra: Hæc non competit Ecclesiæ nascenti: non igitur semper Ecclesiæ inest. 2. Competit verò etiam Antichristianismo, Iudaismo, Paganismo, Mahumetismo, &c. Non igitur soli Ecclesiæ inest. 3. Si illam dicat Ecclesiam veram, non quæ simpliciter sit antiqua, sed quæ sit antiquissima: ostendat igitur in sua Ecclesiæ antiquissimam doctrinam, Moysis, Prophetarum, Christi & Apostolorum, sine qua Ecclesiæ non est Ecclesiæ. 4. Ita autem Nota est nobis, non ipsi, qui Ecclesiam doctrinam notioverem dixit.

47. Tertia Bellarmini nota est duratio diuturna, nec unquam interrupta.

Contra: Nota hæc iisdem, quibus proxima, cui affinis est, conflictatur erroribus.

48. IV. nota est Amplitudo, sive multitudo & varietas credentium.

Contra: 2. Non competit semper Ecclesiæ: quia

B

non

Luc. 12. &
18. 2. Pet. 2.
Apoc. 12.

2. Thes. 2.
Apoc. c. 32.
c. 13. & 17.

non competit Ecclesia nondū diffusa. 2. Nec semper competit diffusa: siquidem eandē diffusa quæ erat, rursū in angustum contractum iri prænunciatum est. Quo pacto Arianorū tempestate Ecclesiam apud paucos, & quidem in carceribus ac speluncis querendam fuisse, proditum est. 3. Itaq; nec competit soli Ecclesia. An non enim Mahometismi insignis est amplitudo in Oriente? & regnum Antichristi nunquid longè lateq; diffundi debuit? 4. Bellarminus ait: non requiritur, ut uno tempore in omnibus provinciis necessario sint aliqui fideles. Satis enim est, si fiat successivè. Ex quo id sequitur, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dummodò clare ostenderetur, eam esse unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo. 5. Quia redeundum esset ad fidem & doctrinam, nota hac obscurior esset, ex Pontificiorum sententia.

49. Quinta nota est successio Episcoporum in Romana Ecclesia, ab Apostolis educta usq; ad nos.

Contra: 1. Non competit Ecclesia, in primordiis suis adhuc constituta. 2. Non competit Ecclesia, cujus status exterior est collapsus: ut quando in Veteri

Veteri Testamento Deus prater ordinem excitavit Prophetam, qui instauraret: Et in Novo Testamento Antichristus sessurus erat in templo Domini. 3. Synagoga tempore Christi habebat successionem: nec tamen erat vera Ecclesia: Ariani habebant successionem: item Donatiste, aliiq³, qui in heresin à suis Episcopis sunt abducti: Et hodie Orientales Ecclesie: quas tamen veras Ecclesias esse omnibus modis negant. 4. Si maxime in Ecclesia Romana sit successio, non tamen est successio Apostolica, quia nec docent, nec si docerent, idem, quod Apostoli, docerent: nec nota foret, quod ad doctrina puritatem, Ecclesia obscuriorem secundum illos, recurrendum esset.

50. Sexta nota est Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. Contra: 1. Nota hæc Bellarmino nulla est, quia pendet à doctrina, ideoq³ obscurior est. 2. Si per Ecclesiam antiquam intelligat Ecclesiam primitivam Apostolicam, ostendat istam conspirationem cum Ecclesia. Si fecerit, herbam porrigemus.

51. Septima nota est Unio membrorum inter se & cum capite. Contra: Unionem cum capite, quod est Christus, non Romanus Pontifex, ut alibi disputabitur, B 2 monstret.

monstret. De unione inter se: 1. hæc non competit soli Ecclesie. Inter hereticos sectam eandem profitentes potest unio esse: inter Iudæos hodie est unio: inter Mahumetistas est unio: adeoq; inter Diabolos est unio. 2. Non competit semper Ecclesie. In Corinthiorum Ecclesia non erat unio, & tamen hæc erat vera Ecclesia. Vbi Ecclesia erat unitas, quum de ceremoniis Mosaicis ageretur, & quum Orientales Ecclesie ab Occidentalibus divellerentur ob diem Paschatis? ubi Romana Ecclesia (si vera est, scilicet) unitas, in qua Antipapa, Paparum antecessorum & successorum contraria Decreta, Scholasticorum, Monachorum, Doctorum controversie multa? 3. Quomodo illa unitas Ecclesie apud Pontificios ipsa Ecclesia, ut nota sit, notior? 4. Est tamen sue Ecclesie unitas, qua unum sunt, qui sanctificantur in veritate. Sed hæc à conspiratione, de qua modò dictum, non est discriminata.

52. Nota octava Bellarmini est sanctitas Doctrinæ.

Contra: 1. Hæc veræ Ecclesie soli & semper convenit: non autem Pontificiæ. Contrarium Pontificii si affirmant, probent. 2. Ex Pontificiorum sententia non potest esse nota. Quid enim interest
inter:

inter doctrinae sanctitatem & praedicationis puritatem, quam notam ipsa Ecclesia obscuriorem esse dicunt, ideoque notam esse negant.

53. Nona nota est efficacia doctrinae.

Contra: Haec nota coincidit cum quarta. 1. Non competit semper: Domine quis credidit auditui nostro? 2. Non competit soli: Multi Pseudoprophetae surgent ac seducent multos. Propterea quod veritatem non receperunt, immittet illis Deus efficaciam illusionis. Adorabunt bestiam omnes incolae terra. Sermo eorum ut cancer serpit. 3. Vt igitur efficacia doctrinae aliquid probet, doceat, doctrinam suam congruere cum Apostolica doctrina, cujus efficacia brevissimi temporis spacio traxit terrarum orbem. Quod faciet ad Calendas Graecas. 4. Et si tum faceret, non tamen ipsi foret nota, utpote obscurior re notanda.

54. Decima nota est Sanctitas vitae auctorum sive primorum Patrum nostrae religionis. Contra: Vt ut Patres sancti fuerint, Filii tamen, qui videri volunt, nimis degenerarunt. Qui non vidit praesens, ex lectione Mantuani, Fr. Petrarchae, & Historicorum cognoscere potest. 2. Est quaedam Pharisaea sanctitas. 3. Potest alicubi Ecclesia visibilis vera esse, ubi non sit

B 3

vita

vita sanctitas in plerisque: ut tempore Donatistarum, qui ideo secessionem ab Ecclesia fecerunt.

55. Undecima nota est gloria miraculorum.

Contra: 1. Miracula vera sunt vera nota Ecclesie: sed non perpetua. Usus eorum fuit in plantanda Ecclesia: in plantata cessat. 2. Alia sunt φαινόμενα miracula, quae prestigia sunt potius, & μαυνίμως miracula dicuntur: qualia fuerunt, quae ad sepulcrum Ieremiae fiebant, testibus Epiphanio & Isidoro: qualia erant Donatistarum miracula, quos Augustinus ideo mirabiliarios vocat: qualia futura erant signa & prodigia Antichristi, de quibus Matt. 24. Apoc. 13. & 2. Thess. 2. ut Ethnicorum quaedam mirabilia praeteream. Haec non sunt nota verae Ecclesiae, sed Diaboli, κακοζήλις Dei, imposturae. Talia autem non esse miracula, quae Pontificii fabulose interdum, saepe ridicule venditant, ipsi probabunt, ubi doctrinae suae veritatem, in cuius confirmationem eduntur divina miracula, e scripturis ostenderint. Interim de miraculis taceant.

56. Duodecima nota, ait Bellarminus, est lumen Propheticum.

Contra: 1. Eadem est ratio Prophetiae, quae miraculorum. Habuerunt vaticinia Ethnici, quae licet vera essent, non tamen erant verè vaticinia. 2. quibus

quibus similia Pontificiorum oracula esse (si qua
habent) non suspicaremur, si verorum Prophetarum
doctrina dissimiliter non docerent, & se Pseudo-
prophetas esse, quos Christus surrecturos prophetavit,
ostenderent. 3. Ad doctrinam subinde redeundum.
57.

Decimatertia nota est Confessio adversariorum.

Contra: 1. Bellarminus intelligit Confessionem, que
concernit doctrinam: Illa quia nunquam datur,
non est nota. Quis enim adversarius laudabit ad-
versarii doctrinam, vel totam, si toti adversatur,
vel partem illam, cui adversatur? 2. Et si maxi-
me laudaret, non tamen nisi leve veritatis argu-
mentum laudatio ista esset. Siquidem Caiphas
& Pilatus in aliquo conjungi possunt, ut mane-
ant disjuncti quoad alia.

58. Decimaquarta nota est Infelix exitus seu finis eorum, qui Ec-
clesiam oppugnant.

Contra: 1. Fuerunt sane infelices exitus multorum
persecutorum Ecclesie: sed hac non fuit Ecclesia
Pontificia. 2. quam qui oppugnarunt, an & quo-
modo infeliciter sint vita defuncti, querimus. 3. Pro-
ferant Pontificii exempla nostratum, qui, Roma-
nam Ecclesiam ubi oppugnarunt, tragica morte
extincti fuerint. 3. Illud Bellarmini de Luthero
nam falsum est, quam quod falsissimum. 4.

4. Quòd si Nota firma (cuiusmodi postulare nos æquum est) esset, in proclivi esset catalogum dare eorum, qui renascenti veritati Evangelica, quò vehementius restiterant, eò infelicius ex hac vita excesserunt. 5. Prodit & sunt etiam tragica mortes eorum, qui Idolomaniam paganam irreverenter tractarunt. 6. Nec semper tamen persecutores puniuntur hac in vita.

59. Ultima nota est Felicitas temporalis, divinitus collata ijs, qui Ecclesiam defenderunt. Contra: 1. Non est hac nota perpetua. Principes Christiani si victores fuerunt, certè victi etiam sæpius fuerunt. Vtri sæpius vicerunt? Illine an Mahumetes, de quo Danielis septimo? 2. Ostendant Pontificii suam Ecclesiam esse veterem illam, cuius principes victoriis fuerunt illustres. 3. Nec tamen continuo si quid vel Pontificia Ecclesia feliciter cessisset, veram Ecclesiam illam esse colligi posset, sed potius intra illam Ecclesiam veram latuisse, cuius conservanda gratia DEVS magistratui felicitatem tribuerit. 4. Ostendant, victoriarum numero nostros superari ab ipsis.

Hæc de Notis Ecclesiæ

Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzi.

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quarū una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babel, Mesoch, 2. qd p̄ hoc vocab. Turca significantur
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad loca dōm ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuiā ratione sit repri. mēdō. 5. Quo pacto et q̄ armis tandem mediantibus fuerint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.

Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Dei, M. Bernades.

Dis. de Baptismo capite papae D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.

Them. Theol. de orali corporis Dei in cenā manducatione dictis Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.

QVÆSTIO
 DE NOTIS VE
 RÆ ECCLESIAE,
 Quam,
 A. A. M. M.
 Moderatore
 REVERENDO ET CLARISSIMO
 VIRO, DN. IOHANNE GEORGIO VOLCKMARO,
 S. S. Theol. Doctore & Professore in Aca
 demia Witebergenſi Publico,
 CONTRA PONTIFICIOS
 Ad diſputationem XX. in Collegio Studioſorum Theo
 logiæ privato proponit
 M. IOHANNES SCHRODERVS
 TREISENSIS HASSVS,
 Respondente,
 IOHANNE SNELLIO Tunderenſi Hoſato.
 WITEBERGAE, Literis WVolffgangi Meifneri.
 ANNO cl. l. IVC.

